



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

10. S. Laurentius Martyr, & Levita

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

tas, & vitæ perfectio. Vivere, & non scire, quô ordine, est ambulare in tenebris. Nunquam in puritate, humilitate, fide, & pietate crescemus, si dies, & horas non ritè ordinaverimus. Commendatur igitur accurata temporis distributio, de qua nec iota, nec apex præterea. Turbatæ, & impuræ animæ, ut tenebris depulsis redeant ad lucem quietæ & serenæ conscientiæ, spiritualem hodiernam communionem eis offeramus cum fructu sacrificii, addendō insuper Officium de dulcissimo corde Jesu. Hinc fons omnis tranquillitatis, & spiritualis lætitiae.

**Festum S. Laurentii, Martyris glorioſi, & Levitæ in craticula constantissimi.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**O** Fili! non audimus in craticula exultantem Laurentium, & dicentem : *Ego me obtuli sacrificium Deo. Gaudeo, quia hostia Christi effici merui.* Nos ipsos offerimus Deo in sacrificium, cùm vitam nostram Divino consecramus

mus honori. Nósne etiam hostia sumus Christi! An amoris proprii? An mundi? Hostia Christi debet mactari: Quomodo nostram voluntatem, passiones inordinatas trucidamus? Vult eas mori Deus! Et parcat homo?

*Instructio meritoria.*

Mactabimus per egregiam nostrum abnegationem, cuius actus magis generosos hodie exercebimus duodecim, eosque in scheda descriptos Ven. Patri spirituali consignabimus. Sine exercitio, & frequentatis actibus nihil. Ecce impetreremus exercendi gratiam, recitabimus in venerationem Passionis S. Laurentii unum speciale Rosarium de quinque Mysteriis dolorosis. Frater glorificet fratrem imitando.

II.

**B.** Laurentius clamavit: *Deum meum colo, & illi soli servio;* & ideo non timeo tormenta tua, tyranne! Quid nos colimus? Cui servimus? Nemo potest duabus servire Dominis. Dura nimium est servitus, servire sibi, & peccato; servire autem Deo regnare. Alta

U 6 peti-

X. Augusti. S. Laurentii,  
petimus? Cur ergo non & excelsa Di-  
vinæ Majestatis servitia?

*Instructio meritoria.*

Probabimus hodie! Ad omnia divi-  
na inter primos comparebimus, oculos  
& sensus modestissimè regemus, & ex-  
traordinario fervori nos hac totâ die im-  
pendemus. Ardet S. Laurentius in cra-  
ticula: Et non ardeat cor nostrum in  
Dei præsentia? Preces autem erunt istæ:  
*Quam dilecta tabernacula tua Domine  
virtutum &c. vel: Laudate Dominum  
de cælis.* Laus Dei triste nil habet.

III.

**S**unt, & dantur adhuc affliti Lauren-  
tii inter tormenta multivaria. De-  
scendamus in purgatorium, & invenie-  
mus. O dilecte fili! Quam triste hic no-  
bis occurrit spectaculum! Patiuntur ibi  
electæ Dei animæ: & pauci sunt, qui eas  
consolentur. O neglectam charitatem  
Christianam!

*Instructio meritoria.*

Simus nos saltem inter amatores ha-  
rum Christi sponsarum præcipuos! Ab  
hodierna die quidquid boni operis, quid-  
quid

quid meriti, & præmii in nobis operata fuerit Divina gratia, id semper pro semper solis animabus in purgatorio attri- buamus. Nil inde perdimus; sed red- dendentur nobis omnia cum fœnore. Per hanc Octavam quotidie oremus Vespe- ras ex Officio defunctorum. Et quid ob- staculi, ut tam modicum charitatis pen- sum non reddamus?

## Festum S. Claræ, Matris Se- raphicæ.

### EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! Qualem hodie colimus Ma- trem? Christo Jesu gratissimam. Quem & S. Clara verbô, & factô in seipsa expressit. Ut patientem quidem; quia jejuniis, ciliciô perpetuô, nudis pedibûs, & farmentis pro strato quotidianô ute- batur tortor, & Martyr sui rigidissima. Hæc tenera Virgo potuit. Cur corpori, & sanitati ita timemus? Sic plerumque insanus in nobis prævalet sensualis amor, proprius amor, & futile mortificatio- nis timor. Sed ò Bone! Quid præ-  
U 7 stat?